

Die Urkunden Karls des Großen, 144

(C.) Carolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum. Quicquid enim locis venerabilibus ob amorem domini et oportunitate servorum dei benivola deliberatione concedimus, hoc nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem pertineri confidimus. Igitur conpertum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, qualiter donamus ad monasterium nostrum Herulfisfelt, quod est constructum in honore beatorum apostolorum Simonis et Tathei ceterorumque sanctorum in vaste Bochonia super fluvium Fulda, quod venerabilis vir Lullo archiepiscopus novo construxit opere et nobis ante hos dies per cartam traditionis visus est delegasse, donatumque in perpetuum esse volemus ecclesia illa infra fisco nostro Scoronishaim, quam Lioba per nostrum benefitium visa est tenuisse, cum omni integritate vel soliditate sua cum rebus ad eandem ecclesiam pertenentibus; et dum ipsa Lioba advixerit, per nostrum vestrumque beneficium ipsam ecclesiam debeat habere. Similiter donamus ad eundem monasterium in pago Uuedrebense in loco qui dicitur Hoinge, sicut Haimericus per nostrum beneficium ibidem tenuit. In tertio vero loco in pago Logonense hominem unum, quem Ratbertus habuit, in villa quae vocatur Berinscozo cum mansos duos, sicut nunc tempore possidere videtur. In quarto quidem loco homines duos his nominibus: Gauzoldo et germano suo Hrodoldo commanentes in silva Bochonia super fluviolo Geazaha. Haec autem omnia una cum terris domibus aedificiis accolabus mancipiis vineiis silvis campis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus movile et immovilibus, quicquid dici aut nominari potest, totum et ad integrum, sicut superius est comprehensum, ad prefatum monasterium a die presenti tradimus perpetualiter ad possedendum, ita ut ab hac die pars predicti monasterii suprascriptis rebus habeat, teneat atque possedeat vel quicquid exinde rectores ipsius monasterii pro oportunitate eorum facere elegerint, liberum perfruantur arbitrium; et a nulli fidelium aut successorum nostrum ullo umquam tempore calomniam habere pertimescant, quatenus melius delectet ipsa congregatione pro nobis uxoriisque nostra etiam proliis domini misericordia adtencius exorare. Et ut haec traditio atque auctoritas nostris et futuris temporibus firmorem obteneat vigorem, manu propria subter eam decrevimus roborare.

Signum (MF.) Caroli glorioissimi regis.

(C.) Uuigbaldus advicem Radoni recognovi et (SR. NT.: Uuihbaldus advicem Radoni recognovi et subscrispi). (SI. D.)

Data quinto kal. agustas anno quarto decimo et nono regni nostri; actum Herulfisfelt monasterio in vaste Bochonia constructum; amen.